

49.

Q. D. B. V.

ERUDITAM

PIETATEM,

MEMORIE

WINCKLERIANÆ

d. 30. Maj. M DC XC.

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

consecrandam,

PATRONIS, FAUTORIBUS,

AMICIS

commendat

PIÆ CAUSÆ INTERPRES

CHRISTIANUS WEISE, RECT.



Zittavia,

Typis Michaëlis Hartmanni.

V. D. B. F.

ERUDITAM

PIETATE M.

MEMORIAE

WINGKELERIANAE

A. M. D. C. X. C.

IN GYMNASIO ZITAVIENSIS

CONSTITUTUM

TATRONIS, BAULTORIBUS

A. M. D. C. L. S.

CONSTITUTUM

PIE CAEVE INTERPRET

CHRISTIANUS WEISE. RECT.

.....

Zitaviensis

Typis Michaelis Hammerii



D me revolvitur WINCKLERIANÆ



Parentationis officium, cui quartâ nunc vice satisfacien- dum est. Et libentissimè vero dicendi hoc munus in me recipio, quod ipsum hoc tempus aliquam præteritæ juventutis recordationem mihi subministrat. Trigesi- mus enim nunc absolvitur annus, ex quo, Gymnasii non ingratus alumnus, cathedram conscendi Patriæ, Patronis, Præceptoribus, in discessu ad ACADEMIAM LIPSIENSEM, pietatis & observantiæ documenta relicturus. Elegerat tum B. Parens meus, ad quem studio- rum meorum præcipua pertinebat directio, Valedictionis argumentum, non externâ specie turgidum, aut novitatis opinione curiosum, sed usu potius & insigni fructu commendatum, suisq; votis & appreciationibus convenientissimum. Dicebam enim de PIETATE, cujus si nomen qui- buslibet vanitatum cultoribus vix habetur magnificum; promissio tamen & felicitas tum ad omnes homines, tum ad eos præcipuè spectat, qui literarum studia, cum his autem accuratiorem DEI cultum, indagare sta- tuerunt. Quid eo tempore præstiterit juvenilis mea præcocitas, tanto minus alii meminerint, quo pauciores superesse video, qui vel hono- ratissimorum Hospitum, vel dilectissimorum commilitonum, eo tempore, subsellia presserunt.

Interim qui tot annorum felici decursu admonitus intelligo, tan- tum rebus meis successum vix adspiraturum fuisse, nisi benè precantium & ominantium pietas ad ipsum hunc salutis & prosperitatis fontem me deduxisset: nec melius observare potero B. WINCKLERI volunta- tem, qui sermonibus nostris juvenum adjuvari profectus jussit; nec pri- stini temporis piam recordationem prosequar hilarius, quam si, revocato sub incudem pristino themate, PIETATEM, annis abhinc triginta lauda- tam, isto temporis intervallo mihi nunquam inutilem, Juvenibus quoq; meæ curæ commissis futuram unicè salutarem, non florido verborum & formularum apparatu, sed rerum ac sententiarum pondere potius de- scribendam & commendandam suscepero. Et

Et PIETATIS quidem nomine quid significetur, pauci nesciunt. Jam enim subintelligi solet Christianæ religionis notitia: sicut Apostolus 1. *Tim.* 3. 16. incarnationis Dominicæ doctrinam vocat τῆς εὐσεβείας μυστήριον.

Jam practicus designatur religionis fructus, h. e. verus DEI cultus, fides, charitas, cordis atq; actionis puritas: quo sensu idem Paulus 1. *Tim.* 4. 8. τῆ σωματικῆ γυμνασίᾳ h. e. *exercitationi corporali jejuniorum, vigiliarum, & externorum operum*, clarissimis verbis opponit τὴν εὐσεβείαν πρὸς πάντα ὠφέλιμον, h. e. *exercitationem interiore[m] animi, ac devotam mentis operationem*, quæ passim in sacris notabili titulo φόβος θεῶν vel κυρίως dicitur: quasi dicas timorem non servilem, sed filialem, qui, postquam vera fides aperuit potentem & beneficum Deum, anxio premitur pudore, nisi tanti Regis & benefactoris voluntas observetur: cum à stylo sacro minus alienum sit, TIMOREM accipere pro CULTU, ut *Esa.* 29. 13. Textus Hebraicus habet timorem, Græcus interpres, ut & Christus, qui textum hunc *Matth.* 15. 8. & *Marc.* 7. 6. repetit, substituunt verbum σέβειν.

Jam quis denotare queat benemerendi ac hominibus benefacendi studium. ut honestiores viduæ 1. *Tim.* 5. 4. dicuntur τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, *piè & honestè tractare domum*, & in eâ juventutis educationem cordi habere.

Quin & interdum specialem exprimit virtutem, reliquis virtutibus quasi contradistinctam: quod idem innuit Apostolus 1. *Tim.* 6. 11. ubi sectari jubet, δικαιοσύνην, εὐσεβείαν, πίστιν, ἀγάπην, ὑπομονήν, πραότητα, h. e. *Justitiam s. innocentiam avaritiæ oppositam, Pietatem, quæ Deum ex intentione purâ, non affectu mercenario colat, Fidem, quæ cœlestia bona querat, & promittat, Charitatem, quæ non sua sed aliorum bona querat, adeoq; liberalitatem ac beneficentiam probare semper studeat, Patientiam, quæ calamitates perferat, ac bonis non superfluis modo, sed necessariis etiam facile careat, Maniuetudinem, quæ nullum in vindicta bonum reposuim esse credat.*

Sed quicquid inter se pugnare videatur varia hæc acceptio, certum est, sub diversis ejusdem vocabuli interpretationibus rem contineri non diversam, seu ut eruditi loquuntur, sub diversis abstractis unum haberi concretum.

Nam ut Philosophi nequicquam disputant de summo Bono, qui vel nominant Virtutis habitum, vel ejus operationem, vel voluptatem s. bonam conscientiam, vel Ideæ cognitionem s. DEI fruitionem: quippe quod

quod unum ex his verè qui possidet, reliquis velut requisitis omnino necessariis carere nequit: sic totam mihi PIETATEM nominaverit implicitè, qui partem dixerit, cum reliquis partibus omnino conjunctam.

Ac adeo PIUS erit, quem Græco vocabulo *Φιλόθεον* appellamus, qui, dum divino trahitur amore, veram religionem velut amoris tesseram veneratur, fructum amoris in sanctâ vitâ repositum habet, omnesq; Dei amicos simili amore prosequendos existimat.

Cæterum ipsa hæc PIETAS quo gravius impugnare videtur Satanæ regnum, eo callidioribus ac crudelioribus passim hostibus exponitur. Ut profecto qui vel suum in animo facere velit officium, vel in aliis excitare pietatis hunc ardorem debeat, variis subinde laboret impedimentis.

Nam ex unâ parte videmus, quos sacer textus *Ephes. 2. 12.* vocat *ἀθέεις*, homines ethnicos, extra Christi regnum positos, & *ἐπαγγελίας ἐλπίδα μὴ ἔχοντας*, spem promissionis non habentes. Si enim vel maximè Gentilium aliqua videatur esse pietatis cura; nullum tamen est dubium, quin ea potius externam aliquam ejus speciem, quàm verum & genuinum effectum referre soleat. Sufficiat allegare Julii Capitolini ambiguum de Antonino Pio judicium: *PIUS*, inquit, *cognominatus est à Senatu, vel quod sacerum, fessum jam etate, manu, presente senatu, levaverit:* (quod quidem non satis magnæ pietatis est argumentum, cum impius sit magis, qui ista non faciat, quàm pius, qui debitum reddat,) vel quod eos, quos Adrianus per malam valetudinem occidi jusserat, reservavit; vel quod Adriano contra omnium studia post mortem infinitos atq; immensos honores decrevit; vel quod, cum se Adrianus interimere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit, ne id posset admittere; vel quod verè naturâ clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit.

Ex alterâ parte stant ipsis admixti Christianis *ἐμπαϊκται*, quos Petrus vocat 2 *Epist. 3. 3.* qui *ἐπαγγελίαν* h. e. promissionem pietatis de adventu Christi vocaturi sint in dubium. Quorum triplicem constituere possumus classem. Aut enim sunt *aperti & impudentes*, aut *occulti & paululum timidi*, aut *occultiores & sub pietatis larva dissimulati*.

Apertos *ἐμπαϊκταις* h. e. irrisores, qui pietatem ludibrio habent, qui Dei contemptu & sacrilegâ audaciâ ingeniosi volunt videri, utinam hoc seculo cognosceremus pauciores. Nam ipsa referre nomina, quibus Atheismum, Naturalismum, Pseudo-Politicam commendare voluit *μυριοτεχνίτης*, dicere nihil attinet.

Oc-

Occultos Psalmo 14. appellari legimus ἄφρονες, insipientes, εἰπόντες ἐν καρδίαις αὐτῶν, οὐκ ἔστι Θεός, dicentes in cordibus suis, non est DEUS: qui reclamante conscientia, neglectis tamen his dictaminibus, neglectis insuper visibilibus creaturarum miraculis, quod statuere clarioribus verbis non sustinent, intra se velut curiosæ prudentiæ specimen conservant.

Sed fallor? an pessima fraude seducendis plurimis instructi sunt, qui sub dissimulato impietatis habitu procedunt, ex Pauli notâ 2. Tim. 3. 5. ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρηνημένοι, habentes speciem s. larvam pietatis, ejus tamen efficaciam & vivam operationem prorsus abnegantes. Quod hypocritarum genus ipse perstringit Christus Matth. 23. 27. quippe similes sunt τάφοις κεκοιταμένοις, sepulchris calce, gypso, varioq; pictorum opere politis, οἵτινες ἔξωθεν μὲν φαίνονται ὡραῖοι, qui extrinsecus videntur speciosi, quemadmodum ὡραῖοι dicuntur οἱ πόδες εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, Speciosi pedes Apostolorum, qui pacem Evangelii annunciant Rom. 10. 15; ac ὡραῖαν πύλην vocabant pulchram & speciosam Templi portam Act. 3. 2. ut in ejusmodi hominibus speciosum aliquod templum, DEI habitaculum, & speciosos Evangelii testes, divinæq; veritatis assertores exhiberi credas, nisi reclamaret internum examen; ἔσωθεν δὲ γέμυσιν ὀστέων νεκρῶν, καὶ πάσης ἀκαθαρσίας, intus autem plena sunt EA SEPULCHRA mortuorum ossibus & omni impuritate: sive hanc impuritatem afferat tacitus affectuum & cupiditatum impetus, sive superba sanctitatis & perfectionis persuasio, quæ cæteros supercilio pharisaico juxta se contemnat.

Et fallax ea μόρφωσις eruditorum pietatem sæpe vocare solet in dubium, ut ab omnibus studiis arcere nonnulli conentur meliores rerum piarum studiosos. Logicam cum Philosophia nihil prodesse clamant, Rhetoricam explodunt, elocutionis artificia negligunt, uno verbo, nemini magis inserviunt, quam otiosis scholarum contemptoribus, qui laudem ingenii citra laborem contingere posse vel credunt vel exoptant.

Habet autem ista persuasio suam speciem, si quis minus decenter explicare velit aperta Patrum testimonia, quorum magnam nubem allegavit Dn. Spizelius in libello, quem inscribit: Pius literati hominis Secessus, sive à profane doctrine vanitate ad sinceram pietatem manuductio Ibi equidem accusat BASILIUS MAGNUS ματαιότητα, vanitatem, ματαιοπονίαν, inanem laborem, quo tenetur juvenus, τὰ μαθήματα τῆς παρὰ τῷ θεῷ μαζανθείσης σοφίας, disciplinas Sapientiæ à DEO infatua-

τα

τῆ, τὸ ἀχρηστον τῆς σοφίας, inutilitatem Sapientiæ Principum hujus mundi: sibiq; vicissim gratulatur, evangelicæ veritatis lumen aliquantò feliciter affulsisse. Nec dissimilia loqui videntur sequentes Theophilus, Justinus, Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, aliiq; plures.

Nam illi quidem Viri de disciplinis loquebantur, quæ suo tempore disci non possent, nisi quis ingrederetur Scholas ethnicorum, ac adeo cum ipsis dogmatibus ethnicismi venenum vel nesciens conciperet, exemploq; magistrorum Χριστὸν Θεὸν δύνάμιν καὶ Θεὸν σοφίαν non cum Judæis σκάνδαλον, sed cum Græcis Græcorumq; similibus μωρίαν interpretaretur, 1. Cor. 1. 23. 24. Et illis sane seculis multo fuit fatius, ignoratis reliquis scire Christum, quàm ignorato vel contempto Christo vano sapientiæ fumo turgescere.

Id enim laudatus SPIZELIUS p. 48. seqq. exemplo Augustini probat, quem impedierunt *νερα νυγῶν, vanitates vanitatum, profana studia*, quo minus ad veritatem Christianam respiceret. Primam ipsius conversionem tum fuisse cognitam ostendit, cum Pauli verba Rom. 13. 15. sacro velut sortilegio sibi venire in manus cognosceret, *abjicienda tenebrarum opera*, & in his ἐριδα καὶ ζῆλον, *Lites & emulationes*. Nimirum iudice conscientiam colligebat, designari vanam eruditionem, quæ contentioni quidem & ambitioni, stolidis æmulationibus & indignationibus, non autem solidæ utilitati quicquam contribueret. Unde postquam lux Evangelii penitus affulsisset, ad hos gentilium doctores applicare non dubitavit Psaltis verba Psalm. 4. 2. Eos intelligi credebatur per ὕψος ἀνθρώπων βαρυκαρδίας, *Filios hominum gravi corde*, potentes & honoratos, qui duro & obstinato animo, more inter sectas philosophorum recepto, alterius honorem invaderent, & ex aliorum contemptu suam æstimare magnitudinem non dubitarent: Cum tamen istorum præcipuum esset encomium ἀγαπᾶν ματαιότητα, καὶ ζητεῖν ψεῦδος, *amare seu interno affectu prosequi vanitatem*, & doctrinam, cujus tandem in ipsis vitæ commodis & acquirenda felicitate nullus est effectus; *querere* h. e. magnis studiis, vigiliis, & lucubrationibus colligere *mendacium*, quasi dicas inepta & incerta rationis corruptæ principia, quibus velut falsis coloribus externa magis admiratio, quàm interna vis constare consuevit. Cujus furfuris Carneadem perstringit Grotius in Proleg. ad J. B. & P. quod Academia sua summum habuisset, ut pro falso non minus quàm pro vero vires eloquentiæ posset intendere: sic ut aliquando Justitiæ oppugnationem suscipere non dubitasset.

In-

Interim ubi per summam & immensam DEI gratiam Christianorum Scholæ, ab omnibus fermentis repurgatæ, disciplinas tum instrumentales tum principales ita proponunt, ut manus jungere quàm placidissimas ipsi religioni videantur: meliora pietatis specimina requiri à juvenibus non possunt, quàm ut eruditis quoque; meditationibus eum colere contentur, qui RATIONIS & ORATIONIS, SAPIENTIÆ & SCIENTIÆ primus Autor est. Quamobrem sicut Amstelodamenses Scholæ suæ præclaram hanc adjecere notam, ut in ipso ejus ingressu verba legi vellent: ERUDITÆ PIETATI; ita semper operam ego dedi, ut, si minus ea verba legi possent in auditorio meo literis aureolis expressa, nullus tamen è commissis juvenibus sic obtorpesceret, quin exempla mea, regulas meas, monita mea dirigi ad ERUDITAM PIETATEM intelligeret.

Ac in hoc argumento potissimum occupabitur nostra sedulitas, & ubi PIETATEM WINCKLERIANAM pio sermone prosequi fas est, ipsa PIETAS, habitum eruditum non dedignata, prodibit in publicum.

Sequemur Apostolum, qui duos præclaræ indolis nactus discipulos Timotheum & Titum, ipsos certè non jubet abjicere politiora Pietatis instrumenta, Logicam & Oratoriam: sed ne divinum hoc donum, ac ipsum rectæ rationis thesaurum, genealogiis, fabulis, vanisque contentionibus impendant, graviter monet. Sciverat Christum, quoties rem haberet cum pertinacibus adversariis, observasse regulas Logicas; & quoties vel parabolis vel affectuosis sermonibus auditorium esset commoturus, Oratoriæ specimina dedisse. Proinde dum eos jubet *docere, monere, legem interpretari, heterodoxis resistere, cavere ludibria secus docentium*, & alia multa, quibus recensendis angustia paginæ non sufficit, simul ea disciplinarum instrumenta videtur postulare, sine quibus tanta doctorum officia minus feliciter procedunt.

Plura succurrent in ipso sermonis cursu, quem, ad diem Martis, finitis in templo sacris antemeridianis, ut favore suo prosequantur, quibus ERUDITA PIETAS cordi est, per hanc virtutem, per salutem, quàm inde sperandam habet juvenum cœtus, per ipsum pietatis fructum, rogo: daturus operam, ne vel audivisse talia, vel mihi benevolentiam declarasse quenquam pœniteat. DEUS servet Patriam, & in ea Posteritatis h. e. frugiferæ pietatis seminarium. P. P. Dom. I. Post.

Trinit. M DC XC.

